



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

Capvt X. Deum vt aquarum terrarúmque Dominum, potestatem, iustitiam, prouidentiámque suam ostendere, miserando Emmanuelis Sosæ naufragio, & sæculi marísque similitudine declaratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Amos. 5. de ipsis malis bonus. *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terra. Dominus nomen est eius.*

CAPVT X.

Deum, ut aquarum terrarumque Dominum, potestatem, iustitiam, providentiamque suam ostendere, miserando Emmanuelis Sosa naufragio, & seculi marisq; similitudine declaratur.

§. I.

Absolutissimum Dei in omnes res dominium.



Voniam autem Dominus nomen est eius, habet & hinc causam aquis habenas stringendi, vel laxandi, ut dominium suum manifestet. Si enim dominium est *jus gubernandi vel disponendi de re aliqua, tanquam sua, seu sibi subiecta*, itaque deivincta, ut possit de ea, non ex commissione alterius, sed propria auctoritate, sine cuiusquam injuria, disporre; profecto, cum DEVS sit Dominus universorum, nullam injuriam faciet ulli, per maria, nauiganti, si ventos immittat non à tergo spirantes; sed procellis & tempe-

Leonard.
Less. de
Iust. ca. 3.
dub. 1.

tibus nauem adigat in scopulos, eamque
allisam finat lacerari. Illius est Oceanus; il-
lius sunt maria omnia; illius omnes naues,
omnes regiones, omnes mortales. Ius ergo
illi est, eos terra marique gubernandi, ad
suum, non ad illorum arbitrium & votum;
vt in mari ventis prosperis vel aduersis, in
terra humanis aut barbaris hospitibus, de-
nique pace aut misero bello vtantur. Nec
deest illi sapientissima ratio mundi, ad
hunc modum, gubernandi. Quippe cum
sic non solum dominium illius & potestas,
sed etiam iustitia, clementia, providen-
tiaque hominibus innotescat. Hæc enim
omnia in casibus humanis perspiciuntur.
In aquis autem, naufragiisque hominum
patientiam exercentibus, etiam discimus,
quam sint in hac vita fluxa omnia, item-
que, quam immanibus periculis se se ob-
ijciant, qui, vel vt Christi fidem inferant,
vel vt aurum & gemmas auferant, ad In-
dos, Iapones, aliasque Orientales & Occi-
dentales nationes, proficiscuntur. Cuius
rei, etsi plura suppetunt exempla, vnum
tamen non omitam ex illustri authore il-
lustrissimum apponere, cuius me supra
nemini, obiter mentionem fecisse: in quo

R 2 pariter

pariter docetur, & nauigantibus ingentia esse discrimina, & in terram eiectionis, maiores saepe ab hominum feritate, quam ab ipsis marinis fluctibus impendere calamitates.

§ II.

Emmanuelis Sosa tempestas, naufragium, & tragœdia dignus interitus.

Petr.
Maffæ.
lib. 16.
Histor.
Indic.

Emmanuel Sosa, cognomento Sepulveda qui Diensi præfuerat olim archi, vir opulentus ac splendidus, ductâ in matrimonium Eleonorâ, Garcia Sala tum Pratoris filiâ, tactus desiderio patrie, pressam diuitijs rostratam excelsam, Cocini, conscendit. Sequebatur uxor, ac parui liberi; & Pantaleon Sala, & nobilis aliquot; & præter nautas, famulorum etiam ac mancipiorum turba: in uniuersum capita ferme sexcenta. Ianuarij mensis initium, Lusitaniam ex illa petentibus ora, statum soluendi tempus. ventorum id vices, ac dudum explorata nauigandi ratio postulat. Sosa cum ceteris, quod impeditior ad Coulanum coemptio fuerat, non nisi Februarij mense profectus, circiter Idus Aprilis Cafrarium litus aperuit. Inde leni flatu profectus, circa Bone spei promontorium vehemens ab occasu obstitit ventus, idq; cum fulgetris, & cali fragore, terris

que ac minaci nubium vi. Tum inhorrescens mare paulatim attolli, maioresque in singula momenta ciere fluctus. Cum in aduersum obnitendi, remigio destitutis, nulla esset ratio; paulisper addubitatum à nautis, utrum demissis antennis, in salo transitum tempestatis expectarent. Verùm Oceano magis magisque saeuiente perterriti, simul propter anni tempus abjecta superandi promontory spe, retro in Indiam pari consensu vela dare constituunt. Sed ne id quidem è voto successit, adeò violenti ac repentini flatus ab Oriente, diuersisque coorti plagis, quassata iam nauis in perniciem conspirauerant. Horum impetu vela primum discissa: malus deinde, mox gubernaculum, frustra fluctus euitante magistro, diffringitur. Præterea costis immodica jaëtatione conuulsis, multò plus accipiebatur unda, quàm ut exhauriri aut egeri summa turba naualis contentione & industria posset. Neque, precipitata leuanda navi bona onerum pars, auertebat exitium. per hunc modum spoliati armamentis, obuersante perpetua mortis imagine, dies aliquot in alto jaëtati, postremò urgetibus à meridie ventis, ceruam ad naufragium ad terram appellantur. neque erat in malis potius quicquam, nisi uiuentes uidentesque hauriri profundo, vel in

cæca dæda syrtēsque adigi mallent: ad teli ergo
 missum jacta ab utraq; parte anchora, dum
 scaphis, quæ una supererat salus, in continen-
 tem euaderent. Sosa ante alios cum uxore fi-
 liisque, & primarijs aliquot, raptim elatâ pe-
 cuniâ gemmisq;, transuecti, haud sine ingen-
 ti periculo: usque ad eò immanes, toto litore,
 moles aquarum illis reciproco frangebantur,
 neque idem effugium ceteræ multitudini pa-
 tuit; scaphis, post unum alterumue trajectum,
 in dorsuosa breuia impactis & comminuta.
 Eodem ferè temporis articulo anchorarius fu-
 nis in Austrum obuersus, quamquam valido
 nexu & crassitudine, rumpitur. Tum qui
 remanserant, diuulsa nanis latera, & vasto
 dehiscentem hiatu alneum conspicati, erum-
 pentia ex imo dolia, sarcinas capsasue corrip-
 unt; seq;, incertam ad spem, quâ cuique pro-
 ximum est, in mare dimittunt. Miserranda
 hinc spectaculo, immistos fluitanti gaza mor-
 tales, & naualia instrumenta passim agi fer-
 rique cerneret. Periere ab ipso statim dejecti,
 Lusitani circiter quadraginta; ex alijs natio-
 nibus, ad septuaginta: reliqui haud semel oper-
 ti fluctibus, ac turgido spumantique aestu in di-
 uersa raptati. ad hæc, scriniorum incussu lini-
 di, aut clauorum squamarumque ictu cruenti
 (tantum

(tantus amor est lucis) tandem semianimes in
siccis vestigia posuere. Vix dum euaserant; cum
in conspectu omnium, vacua hominibus carina
subsedit; & arenis illata, duas primum, dein
quatuor in partes, ad extremum in minutissi-
ma frustra disijcit. hæc maximè clades ad ulti-
mam penè rerum desperationem Lusitanos
adduxit. Quippe consilium fuerat, è reliquijs
naufragij subitarium dromonem intentis ve-
tibus ad cursum aptare; atque ubi licuisset,
cum delectis retro Sofalam, aut Mosambicum,
opis petende causa, transmittetere. Eam quo-
que sibi facultatem ereptam videbant, cum è
discerpto nauigio laceròque vix vlla fragmen-
ta cubiti mensuram excederent. Paulatim
dein, quæq; supernatauerant, quæq; obruta
fuerant, penè cuncta cum cadaveribus in lit-
tus eiecta: ipse quoque demum anchora, ha-
stæq; & minora tormenta; quamquam hæc
quidem prorsus inutilia; sulphureo omni cor-
rupto puluere, neq; ullo conficiendi apparatu.
Inter hæc autumnus abierat: & quod ab æ-
quatore in meridiem gradus unum & tri-
ginta distat regio, refouenda turba, frigore,
inedia, vulneribusq; torpenti, Sosa complures
excitabat ignes. tum ex aliquot orizæ semi-
corrupta modijs ac salsamentis, quæ tempesta-

264. Cap. X. Maritimi, & saeculi mores,
tis injuria superfuerant: cibaria in singulos
parce diuisa: quod squalida circum arena, ac
nullum esset cum incolis, fera & inhospita na-
tione, commercium. dulces tantum in proxi-
mo scaturigines emicabant. atque ob id, con-
nexis in orbem scrinijs, aduolutoque saxorum
pondere, uti securas exigerent noctes, loco
munimenta circumdata, & quatuor in par-
tes, ut assoles, vigilia distributa, quas intem-
pesta nocte haud semel circuibat Sosa; neque
vllum, in tali calamitate, boni & ciuis & pre-
fecti omittebat officium. Tredecim ferme dies
curationi corporum dati, mox de summa rei
deliberatum, quid agerent, quò se conferrent.
nemini dubium fuit, quin oram tenentes, ad
flumen contenderent, cui Laurentius Mar-
chesius olim ab sancto Spiritu nomen indide-
rat: eodemq; Lusitani ab Sofala & Mosambico
mercimonij causa comueabant. id flumen a
statiuis in Orientem aberat leucas centum &
octoginta. Ab hoc decreto Sosa, quamquam
praecipua in elade, tamen ceteros ipse vultu ac
sermone confirmat, ne asperis in rebus despon-
derent animos. qui se pelago committant, &
famem, sitim, iacturas, erumnas, omnia in-
commoda esse debere proposita. quae si contin-
gant, non ita mox cadendum, quasi ea nunt-
quam

quam euentura existimârint. ad hæc, pro suis
quisque delictis æterna supplicia meriti; bre-
uia ac temporalia non inuiti persoluant. Si-
mul, eo infortunio, non quid perdiderint cogi-
tandum, sed quòd euaserint. amisisse multa,
sed perire vnà cum ijs, quæ amiserant, potu-
isse. monuit insuper, ut inter efferas destituti
gentes, nullum deinceps nisi in conjunctione, &
concordia præsidium collocarent. nemo seorsum,
omnes in commune consulerent. nihil neque di-
spersis & vagis tutum, neq; conglobatis & con-
sistentibus noxium fore. Postremò precatus
est cunctos, in ratione itineris, Eleonora & fi-
liorum vel atati, vel sexui parcerent; seq; va-
lidi & robusti ad infirmorum vires attempera-
re ne grauantur. Ad ea succlamatum, duce-
ret quò vellet, & quomodo: se ab eius aucto-
ritate arbitrioque non recessuros. Per hunc mo-
dum corporibus & animis utcumque firma-
tis; hoc maxime ordine capessunt iter. Præ-
cedebat Sofa cum uxore virilis animi femina,
liberisque propter atatem securis, & Andrea
Vasão nanis magistro (is præcelsum Crucis ve-
xillum ferebat) & Lusitanis alijs octoginta,
seruis præterea centum. hi puerulos tergo per
vices; Eleonoram informi pilento gestabant.
Sequebantur cum ancillis, & imbelli turba
R 5 nautici.

nautici. Agmen infaustum Pantaleon, & reli-
 qui cum mancipijs Lusitani cogebant. Mo-
 dicis inde itineribus, per infesta Castrum in-
 cursionibus, & noxijs animantibus loca pro-
 gressos: iniue rupes, excedentia in nubes juga,
 despectu horrendo conualles, cœnosa voragine,
 inflata imbribus hybernis flumina excipiunt.
 ijs dum superandis, humilia procul vada, cle-
 mentesq; montium ascensus ac descensus inqui-
 runt; littoralis spatij triginta non amplius
 leucas, crebro ipsi ambitu flexuque, cæcis ad-
 hæc erroribus, in centum prorsus extendunt.
 Mensis inter hæc voluitur simul, extrema
 quoque inopia, consumptis iam omnibus ali-
 mentis, confictari capti. Sustinebant famem
 primò conchylia, putresq; cetorum artus, &
 alia maris ejectamenta. dein, ubi à littore ab-
 scesserunt, siluestria poma baccaæne: tum tener-
 rima frondium, postremò bestiarum cadaue-
 ra, & ossa qualibet igne tosta, pelleq; mollita.
 Nec lenius torquebat sitis, cùm oppido pauci,
 nec nisi magna presentis pecunia mercede, a-
 quandi causa de via decederent, insidiantium
 ex occulto latronum impetus, atque leonum
 etiam ac tigrinum ignota cubilia metuentes. E-
 normia inde aque pretia: uti octo interdum
 aureis hemina constaret. Inter quæ subinde ali-

qui lassitudine, inedia, siccitate confecti, deploratis viribus, *Aethiopi* diro, bellisq; & alitibus prada restabant, *suprema* ad suos mandata dantes antecedentibus: quorum in animis, ut sit, diuturni terrores, & proprium cuiusq; malum, omnem panem miserationem ac sensum alienae calamitatis exstinxerat. *Sosam* tamen, chari aliquot relictis, supra modum angebant. *Uxor*is verò quotidiani labores, miseriaq; propemodum emonerant mente: quamvis illa quidem se se marito infatigabilem corpore pariter animoque praeferret comitem: ac baiulorum destituta ministerio, dudum suis ipsa pedibus ambularet, addens ceteris animos: & in partem oneris, tenera proli subtenanda succedens. Quarto mense ad *amnem* sancti Spiritus peruentum ab *insej*s. *Causa* latendi fuit, quòd audita conceptaq; animo magnitudini haudquaquam respondebat flumen, (quippe tribus alueis ea regione decurrens, in exitu iungitur) & idonei, ad percontandum explorandumque interpretes deerant: siquidem *Aethiopicis* ex alia longè regione *mancipijs*, quae habebant in comitatu, nondum erat cum *ys* populis tanta societas lingua, uti per illos possent, quae vellent, probe cognoscere. Percommodè cecidit, quòd regulus ea tenebat loca, miti admodum, pra-

ter aliorum consuetudinem ingenio vir, bene
 in Lusitanos animatus, quod illi placidum &
 equum paulo ante commercium cum ipso Lau-
 rentio Marchesio, & Antonio Calderia fuisset.
 Is peramanter acceptum Sosam & reliquos
 apud se, dum aliquis ab Sosala insitor appare-
 ret, omni arte retinere conatus est, partim ab
 insita humanitate, partim etiam proprii com-
 modi gratia, quod finitimis implicitus bellis,
 tempestivo firmoque sibi auxilio diuinitus obla-
 tam hanc putaret manum. Ac proinde, post
 multa benigni vultus incitamenta, denique ge-
 stu, nutibus, & incerta vocum significatione de-
 nunciat, haud procul abesse inde potentiores
 se Regem, impium, & rapinae adsuetum, se
 pergant, precipitis consilii poenas duros. Nec
 preces, nec monita profuere. quod liberalius ha-
 bebatur Sosa, eo magis fraudem suspicatus,
 porro abire contendit, nauiculisque ab eodem
 regulo impetratis fluvium traiecit. Quinta
 die ad medium amnis brachium processere,
 leucas iam a naufragio trecetas emensi, e quin-
 gentis comitibus, ad centum & viginti va-
 riy cladibus traducti non amplius. id quoque
 brachium, conductis pretio lintribus, immi-
 nentium ignari transmittunt. maiore dein res
 lingua, per interpretes haud dubie cognitum
 id est

id esse flumen, quod tanto tam diu labore qua-
sissent: & eiusdem habitus albos homines illuc
navibus itare consuesse. à non longè mari is lo-
cus aberat. falsi ex eo latices: neq; ullam dulcis
aque venam circum apparere constabat. ad
hac, solum planè incultum ac sterile. cùm ibi
Lusitani, malis victi, sub nocte necessario con-
sediissent; postridie aduentantes Ethiopas fer-
me ducentos adspiciunt, ac primò adesse præ-
lium rati, arma, quæ malè iam sustinebant,
expediunt: reliquias virium ad repellendos
fugandòsque latrones intendunt. dein, postquã
pacatus appropinquabat Ethiops; ac, qui-
nam, & unde profugi, blandè querebat; sum-
pta fiducia, infortunij summam & exhaustos
labores; per interpretem exponunt. Cibaria
tantùm, neq; ea gratuita, jure gentium pe-
tunt, ferramenta genti expetita, conciliando
commercio proferunt. Hand spernenda cre-
scendi occasio barbaris visa. tantùm de re ex-
tuto aggre dienda solliciti, ac toti è fraude men-
daciòq; conflati, respondent, nihil esse commea-
tus in promptu: haud ita distare oppidum: eò
si accesserint, hospitaliter ac benigne cunctos ab
Rege tractatum iri. Suadebat requiem ultima
lassitudo, & inuentus agnitùsq; tandem exo-
prati fluvij terminus: vasana insuper fames vr-
gebat

gebat ac sitis. age sanè, ducibus iisdem ad oppidum tendunt. iamq; successuros, per viatorum, ingressu prohibet Rex; densa arbores in vicino adsignata, quarum umbra se se utcumque reficerent. Sex ibi dierum fuit mora, clauos ferme reuulsos è naufragij tabulis, cum carnibus nutrituq; alio, permutabant: sitim lenabat in proximo fons. contracta inde cum incolis nonnulla consuetudine, perniciosam in spem hospitij Sosa paulatim inductus, mercatoris cuiuspiam aduentum ab Sotala, si liceat, ibidem operiri constituit. id ipsum Ethiopes cum valde hortarentur; ex ijs missi ad Regem, qui Sosa interim, & coniugi, ceterisque, pro instituta societate, paulò commodius diuersorium peterent. Ille, popularium haud absimilis, omnibusque artibus ad fallendum instructus, jubet Sosa renuntiari, se suosq; optimo esse in aduenas & calamitosos animo: sed quò minus eos adhuc intra oppidum admiserit, duobus maximè causis retardatum. altera, quòd magna tum annonae penuria uno omnes loco sustentari non possent: altera, quòd ferro succinctos, & vario genere telorum, incolae seminudi, ac sudibus tantum adfecti, maiorem in modum extimescerent. Si animum inducant Lusitani, ad pacata mansionis fidem, arma interim

apud

apud se custodienda sine dolo, deponerent; se
domi sua Praefectum, primoresq; benignè ha-
biturum: reliquos, circumfufis oppido vicis,
fida in hospitia diuifurum. Dura omninò po-
ftrulata vifa concilio: fed recusantibus extrema
neceffitas & egeftas inftabat. Ergo nemine, pra-
ter vnã Eleonorã, difsuadente palam; So-
fa, qui amicè monenti atque inuitanti regulo
priori abrogauerat fidem; repudiatis Eleo-
norã precibus monitisque, fe ac fua demum
omnia infidioso huic prapoftera credulitate
permittit. Cohors reliqua ducis auctoritatem
fequi non dubitat, tradita extemplo arma pra-
mittuntur ad Regem: Sosa cum uxore, libe-
risque, & fidelibus alijs ferme viginti subfe-
quitur. Ceteros quinos, vel fenos regij praefecti
varia in loca diducunt. Nec dum ad inhospita-
les peruenerant casãs, cum deftitutos ac di-
remptos ab ope mutua; non peculio tantum, fi-
quid abditum gerebant, fed vefimentis etiam,
quamquam attritis ac laceris exuunt; eãque
nocte malignè admodum paflos, manè fustibus
conuitisque, per summam perfidiam & imma-
nitatem, tectis ac vicis exturbant. Rex, gem-
mis, aurõq;, & argento, & quod pretiosi re-
liquum Sosa & familiaribus fuerat, auidiffimè
rãpto, corporibus tantum, ac vefimentis ab-
stinuit,

stinuit; domoq; cunctos item exegit, in super
 increpans, clementia adductum se, non pro
 meritis tractasse vagos piratas; & communes
 humani generis inimicos. Tum demum sen-
 sere Sosa, comitesq;, quàm stultè se se inermes
 ignota ac barbaræ fidei credidissent. Neq; hic
 finis miseriarum fuit. namq; dum inopes con-
 filij, solatis ordinibus, nullo rectore, nullo signi-
 fero, passim incerto errant gradu; noua re-
 pentè Ethiopum manus; præacutis armata
 sudibus, in Sosa manipulum inuadit: ipsūque
 & ceteros utriusq; sexus, nullo discrimine, ve-
 stibus nudat, obnoxios, contra ne hiscere qui-
 dem audentes. adeò, ablati armis, ceciderant
 animi. Eleonora tantum, generis memor, ac
 pudoris ad ultimum retinens; obniti acriter,
 pugnis quin etiam colaphisq;, barbaros ultro
 ad necem irritare: quoad mariti deniq;horta-
 tu, & deficientibus iam planè viribus, abstulit.
 nec mora: detracta direptaq; vestes; metu at
 pudore confusis, qui ex infelici comitatu re-
 stabant, atque ab tanta rerum indignitate
 auertentibus oculos. tum verò, casta matro-
 na tristior omni morte lux visa, defodit arenis
 è vestigio se se: qua supereminet, soluto ra-
 ptim fusóq; obtegit crine. mox ad Andream,
 paucosq;ne superstites, voce suprema: vos qui-
 dent,

dem, inquit, duci vestro fidem egregiam praestitistis, optimi viri. nil ultra opus est. ite, vobisque ipsi tandem aliquando consulite. ac, si quem patrijs olim finibus reddi contingat, renuntiate, quò loci mea me maritumque delicta perduxerint. Mœstum inde silentium immobilis tenuit. Cara tantum intuenti pignora, juges rivi lachrymarum denso cum gemitu profuebant. Sosa item altus mœror ac dolor vocem incluserat. cùmque defixo in terram obtutu, aliquandiu attonito, ac stupenti similis adstitisset, paterna demum exstimulante cura, proximam in siluam quærendo qualicumq; nutrimento secedit. inde regressus, Eleonoram tridiano jeiunio fletuque panè consumptam, è filiolis alterum prorsus extinctum offendit, eumq; suis ipse manibus terra mandauit. Postridie eodem pabulandi functus officio coniugem una cum filio exanimem reperit, & lamentabili circumuociferatione complorantes ancillas. Hisce confestim summotis, in dextram jacentis manum aliquandiu reclinato capite incubuit: dein, iisdem adjuuantibus ancillis, cadauer utrumque sepelijt, nihil unquam effatus. Postremò sese iterum abdit in siluas. ibi laniatum à feris putant. nunquam deinde comparuit. Hunc exitum, inter pau-

274 *Cap. X. Maritimi, & sæculi mores,*
cas miseranda Sose peregrinatio terra marique
sortita, cum sæculi huius tertius & quinquage-
simus ageretur annus. reliqui ad centum, sec-
undo agmine, rerum omnium inopes, diu er-
rabundi, varijs casibus ad sex & viginti reda-
cto numero, cum pro captivis haberentur, di-
niq, ab nauiculario Lusitano, qui eboris mer-
sandi causa, regionem eam a Mosambico pe-
tierat, sestertijs in capita quaternis redempti.
in ijs Pantaleon fuit, qui ante hoc biennium,
exacta iam ætate, verum prævalens viribus,
Olisipone subito nervorum stupore apoplecti-
cus obiit. Caterum tanta Sosa calamitas lon-
gè latèque vulgata misericordiam hominum
cinit: cupiditatem & audaciam non immi-
nuit. Hæc Petrus Maffæus.

§. III.

Cur Deus, maris dominus, quosdam suis
tempestatibus jactari?

Talia, cum omni familia sua, Sosa Em-
manuel, terris jactatus & alto, pertulit.
Ex quibus æstimare licet, diuinam poten-
tiam, dominium, æquitatem, providenti-
am. Quid enim ille vndipotens Neptunus
cuius jura vel Æolus ausus est violare,
quem Iuno decepit? contra cuius volun-
tatem procella exitit? cui tanta ira, tantum
quod

que vehementi oratione opus fuit, ad fluctus & ventos compescendos? quid potentia fingitur obtinuisse? Vno verbo Christus *imperavit ventis & mari, & facta* Matth. 8.
est tranquillitas magna. Sine veri DEI nu- 26.
tu, nulli ebulliunt fluctus, nulla maria vel tumescunt, vel quiescunt. Ille *vocat aquas* Amos. 5.8.
maris, & effundit eas super faciem terra:
Dominus nomen est eius. Hinc nemo con-
queri potest. Equum est, quod cum re
sua facit. Si causa alia deessent omnes,
dominium solum sufficeret. Quis sceleris
arguit videns aquam effundi ab eo, qui
hauit, & haurire denuo potest? Si non
modò feruum hoc crimine non arguis, sed
ne illud quidem comuni vituperatione re-
prehendis, quòd creaturam DEI inutili-
ter perdat, cur ipsum aquarum Dominum
vis in jus citare, si commouet maria, in
quæ summam habet potestatem? Quan-
quam multas præterea habet causas. 1.
Putrescerent aquæ, si non commoueren-
tur. Turbatio illis, est purgatio. 2. Sine
ventis naues testudineo gradu procede-
rent, vel omnino starent. Venti autem
fluctus cient. Qui ergo optat ventos, pa-
tiatur fluctus. 3. Crudissima gens est
S 2 nauta

nautarum, & cum nauali turba, fax ple-
rumque vltima hominum confluit, adna-
ues, quas velut sentina grauat. Neque
ipfi saepe vectores primarij ac nauium,
domini vitijs suis carent. Alij ludis absor-
bentur, alij ganeis, seu scortis. Alios E-
risichthonia auri fames & auaritia insatia-
bilis impellit ad nauigandum. Quosdam
homicidij, aut grauioris facinoris con-
scientia in naualem fugam conijcit. Hi
omnes magnam partem rerum diuinarum
obliti, periculis admonentur, vt opem cea-
lestem implorent. Qua de caussa vulgare
illud circumfertur: *Qui nescit orare, vadit
ad mare.* Quod vel Echnici fecerunt,
quanquam in eo decepti, quod Castores
& Polluces, & Tritones, & nescio quas
lignas Nereides & Glaucos in auxilium
vocarent. Quam rem S. Spiritus stultitiae
conuincit, dum ait: *Alius nauigare cogitans,
& per feros fluctus iter facere incipiens, ligna
portante se, fragilius lignum inuocat.* Melius
fecerunt, melioremque DEVM inuocarunt
illi nauitae, qui in media tempestate clama-
uerunt ad Dominum, & immolauerunt hostiam
Domino, & vota vouerunt. Quos recte plu-
rimi pieque, & saepe salubriter imitantur.

Sap. 14. 1.

Ion. 1. 14.

qui naui, & sibi à naufragio metuentes, varia vota, si discrimen euadant, DEO faciunt. Et alij quidem peregrinationum, ad hunc vel illum Diuum, alij autem ieiuniorum, certis diebus, tolerandorum; alij elemosynarum in egenos erogandarum; alij ædificandorum templorum; alij perpetuæ castitatis; alij etiam religionis ingredenda. Ob hos tales effectus, an non vtilis censenda sint maris tempestates? Multorum contumaciam fregit naufragij metus.

4. Multos merfit mare, sed nocentes. 5. Quod si & innocentes talibus procellis inuoluuntur, compendium mortis habent, & doloris. Minor est cruciatus vndis absumi, quàm flammis. 6. Quem non curiositas nauibus auheret in insulas Fortunatas, aliàsque nouas terras; quem non cupiditas habendi alliceret, si nauigantes non periclitarentur? 7. Quæ gloria fuisset Danao Beli filio, qui nauem primus ex Ægypto in Græciam aduexit? quæ Iasoni & Argonautis? quæ Christophoro Colombo, si nauigatio periculis careret? Maxima virtutis laus est, discrimina non horuisse: & superasse, quod fuit cum periculo laboriosum.

Mare esse vita humana imaginem.

Denique mihi & illa non postrema causa videtur, ut habeamus, in mari, veram & expressam, quamdam humanæ vitæ imaginem. Aptissime enim pericula periculis explicantur: & quidem summa summis.

Eccli. 43.
26.

Qui navigant mare, enarrent pericula eius: & audientes auribus nostris, admirabimur, cognoscemusque prorsus, in nostra vita, similes scopulos, & fluctus, & pericula occurrere. Quæ etiam de causa, rectè Clemens Alexandrinus, ubi vetat, gemmis anulorum, idolorum imagines insculpi, suadet nauim vel anchoram imprimi, navigationis utique, & vitæ humanæ moni-

Clemens
Alex. lib.
3. Pædag.

mentum. Sint autem nobis, ait, signacula, columba, vel piscis, vel nauis, quæ celeri cursu à vento fertur, vel lyra musica, quæ usus est Polycrates, vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus. Quoties piscem, quoties nauem, quoties anchoram inspicimus, illico in memoriam venit, homines in terris,

non secus ac pisces nauésque in vndis, natant, aut navigare; vitamque nostram aquæ similem esse, quæ est res fluxa, ventis & tempestatibus obnoxia. Omnes mo-

2. Reg. 14.
14.

rimur,

rimur, & quasi aqua dilabimur in terram, qua non reuertuntur, ait mulier Thecuitis. De periculis, & aduersis ventis, & mille incommodis maris, & vitæ inter se comparatis, complures meminerunt.

§. V.

Quomodo S. Augustinus hunc mundum cum mari compararit?

Bellissimè autem S. Augustinus hominis, per hunc mundum, velut per mare, nauigantis miserias, diuersis locis, considera- uit. Qui etsi docuerit, ad illum, qui ubi- que est, amando veniri, non nauigando; mox tamen subiecit: *Sed quoniam etiam, in tali itinere, abundant fluctus & tempestates diuersarum tentationum, in crucifixum cre- de, ut fides tua lignum possit ascendere. Non mergèris, sed ligno portaberis. Sic, sic, in huius seculi fluctibus, nauigabat ille, qui dicebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domi- ni nostri IESV Christi.* Eandem, per crucem nauigandi artem, & vitæ huius procellas describit etiam, cum Euangelium illud de Domino ambulante super aquas, exponit, his verbis. *Dum ille (Christus) orat in excelso, nauicula turbatur fluctibus in profun- do: quia insurgunt fluctus, potest ipsa nauicula*

S. Augu-
stin. serm:
2. de verb.
Apost.

S. Augu-
stin. in
Matth.
serm. 14.

S 4

turbari;

turbari; sed quia Christus orat, non potest mergi. Nautellam quippe istam, fratres, Ecclesiam cogitate, turbulentum mare hoc seculum. Quando aliquis impia voluntatis, maxima potestatis persecutionem indicit. Ecclesia, & quantum in ipso est, Christianum nomen conatur extinguere, super nauiculam Christi grandis unda consurgit. sed, in his tentationibus, erigatur antenna, ut suspensa arbori, crucem figuret. Hanc Christianus respiciat, & non deficiat, quia sicut dicit Apostolus Petrus, Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius. Dicit etiam beatus Ioannes: Sicut enim Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere. Huic ergo antenna, id est, cruci Christi, simplex conuersatio, & pura confessio, tanquam candentia vela, religentur. Et vela nostra fluctibus abluantur, vestisq; tendatur, ut sine macula, & ruga, inueniatur. Quantumlibet mare seuiat, ventus incumbat, inter fluctus & fluctus, nauis ista tarbetur tantum, non mergatur, & currit. Denique posteaquam nauis hac edificata est in Hierusalem, atque inde in medio pelagi huius frementis emissa est, aestuarii volumina undarum, & furentium flammarum ventorum

ventorum, dum eam huc atq; illuc circumfe-
runt, omnium gentium littoribus appulerunt,
peregrinas merces, quacung; inuenit, inue-
xit. Quid enim tam peregrinum, in terra no-
stra, quam per poenitentiam, remissio pec-
catorum, regnumque calorum?

§. VI.

Ecclesia navi similis, quò, & quomodo
debeat tendere?

Igitur habemus ex hoc sancto Patre, sa-
culum esse mare, tempestates insurgere in
persecutionibus, nauem tutissimam eligi,
si in crucem, cum Christo, ascendamus.
Quò autem tendendum est? quò nauis di-
rigenda? Quo modo, qui nauigant, nauem
ad astra dirigunt, ait Clemens Alexandri-
nus. Neq; monstra hìc marina nobis sunt
metuenda. Virtute crucis pericula omnia
superantur. Quid ergo nos? ait Augustinus.
Ad patriam, quà ituri sumus? per ipsam
mare, sed in ligno Noli timere periculum, lig-
num te portat, quod continet saculum. Ergo
attendite: Hoc mare magnum & spaciosum,
ibi repentina, quorum non est numerus, anima-
lia pusilla & magna. Noli timere, noli ter-
reri; desidera patriam, intellige peregrinatio-
nem. Illic naues commcabunt. Ecce in eo, quod

Clem. A.
lexandr.
lib. 6.
Strom.
S. Augu-
stin. in
Psalmi. 3.

S s terre-

terrebat, commeabunt: naues natant, & non merguntur. Naues Ecclesias intelligimus: commeant inter tempestates, inter procellas tentationum, inter fluctus sæculi, inter animalia pusilla & magna. Gubernator est Christus in ligno crucis suæ. Illic naues commeabunt. Non timeant naues, non valde attendant, ubi natent, sed a quo gubernentur. Illinc naues commeabunt. Quæsi commeatum reperiunt tristem, quando gubernatorem sentiunt Christum. Commeabunt securè, commeabunt perseveranter, venient ad finem debitum, perducuntur ad terram quietis. In portu tutissimum est nauigare. Ad hunc cæli portum, vt aspiremus ipsi nos fluctus impellunt, quibus, in hac vita, homines jactantur. Quod idem S. Pater alibi docens, ait: *Vniuersus iste mundus, quasi quoddam diluuium est, eò, quòd omnia, quæ in hoc mundo sunt, ad similitudinem aquæ incertis euentibus fluctuando decurrant. Vera autem fides, quæ non transitoria, sed æterna promittit, quasi à quibusdam fluctibus, sic ab huius mundi cupiditate in suprema animum tollit: & portari quidem ab aquis potest; sed mergi omnino non potest: quia ad necessitatem hoc mundo utitur, sed eius desiderijs, per affectum non implicatur.*

S. Augu-
stin. lib.
de sub-
stant. di-
lect. onis.
cap. 7.

tur. Quisquis ergo aterna non credens sola, qua transeunt, appetit: hunc quasi sine navi laborantem in fluctibus impetus aqua decurrentis secum trahit. Qui vero aterna credens, transitoria diligit, hic juxta navem naufragium facit: qui autem aterna bona credit & diligit, hic in navi positus fluctuantis maris undas securus pertransit: quia qui per desiderium fidei navem non transgreditur, iam quodammodo, in fluctibus, terra stabilitatem imitatur. Nunc igitur, quæ & terræ sit stabilitas, quæ securitas, quod emolumentum, aut detrimentum, videamus; de aquæ autem necessitate, utilitate, jucunditate, in hunc similemve modum expensa, quisquis antehac fuit temerarius judex, aut superbus contemptor, posthac dicat:

*Prò di immortalis, in aqua nunquã credidi
Voluptatem inesse tantam!*

C A P V T I X.

Terra, hominis gratia creata, situs, quies, rotunditas, inaequalitas, venustas, & feracitas, laude & admiratione digna.

§. I.

In terra, cõmuni omnium matre, alios invenire, qua vituperent, alios, qua laudet. IH-